



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindellicorvm, 1607

S. Theodorvs M.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

Daniel Scitani cœnobii archimandrita accepisset, Thomaidem in Scetam deportari curauit, ibiq; in suo cœmeterio humauit, vt quæ pro pudicitia sanguinẽ profudisset. Fuit autem in Scetanâ domo, qui telo cupidinis ictus, ad libidinem vehementer incitabatur, is cum ad beatæ Martyris reliquias, & tumulum accessisset, seseque oleo ex .: lucerna delibuto inunxisset, acceptâ per nocturnam quietem, qua martyr illi visa, cœlesti imprecatione, experrectus, se penitus ab omni libidinis affectu expeditũ sensit. Ex quo tempore illius cœnobii sodales, singulare præsidium in hoc corporis conflictu per beatam Thomaidem acceperunt.

.. ἐκ τῆς
Φωταγω-
γῆς.

19. April. S. THEODORVS M.

ANtonino rem Romanam administrante, præside Pergæ Pamphyliaë Theodoro, flos iuuenum multorum, formâ & oris dignitate præstantium in militia rudimentũ & tirociniũ conscriptus, quos inter & hic beatus Theodorus ad ducẽ est deductus. Accinctus ergo militari more, & signo Martis, quemadmodum & cæteri, instructus, ipse mox signum abruptit: Ego, inquit, ab ipso

σφραγίδος

ab ipso natali meo per Iesum Christum imperatorem meum insignitus, apud nullum alterum imperatorem sacramentum dico. Et præses, eccui, inquit, imperatori militasti? Et Sanctus; illi, qui cœlum terramq; architectatus est: Et præses: Et tu Diis nostris non litabis? & Sanctus: impuris caco-dæmonibus litavi nunquam. Tum cædi illum præses imperavit: cæsusque, rursus interrogatur à præside: Numquid nunc tandem modestè ad quæsitâ respondere didicisti? Vtinam; inquit Sanctus, & tu conditorem nosse tuum & adorares. Tum incandente craticulâ distentum diuinum martyrem, cerâ, pice, .: resina perfundunt. Atque illi quidem hæc agebant. At Deus ^{ἀνυπερ} locus ^{suspe} ^{ctus.} ingens quoddâ prodigium errorum nocte confusis ostendit. Nam ingenti terra mugitu reclusa discessit, vndamque emisit, que (ô miraculum obstupescendum) flammam & craticulam totumq; penitus rogam extinxit. Sanctus verò surrexit, & præsidem compellauit. Hoc, inquit, quod ipse coram spectasti proconsul, non est opis meæ opus, sed Christi mei quem supplex colo. Quod si ergo vicissim iuuat explorare tuorum potentiam numinum, aliam excita pyram, sternaturque in ea de militibus vnus, in ho-

rum nomine; tunc intelliges Dei mei im-
mensam potentiam. Et milites, nequaquam,
inquiunt, hoc feceris Domine, sed ex sacri-
ficulis Deorum quempiam arripe, & crati-
bus ignientibus impone, forte an illum, vti
mysten suum exaudient. Et præses: addu-
catur, inquit, Flamen aliquis; adductum
compellat præses: Quod, inquit, tibi no-
men? Dioscorus, inquit sacrificulus; Quo,
inquit proconsul, carmine excantant Vul-
canum Christiani? nam Theodoro huic
flamma labem nullam intulit. Et Diosco-
rus: Christiani, inquit, magi & præstigia-
tores non sunt, sed simulac Christi nomen
pronunciatum est, omnes præstigiæ & ve-
neficia pelluntur & dissipantur, ipsiq; Dii
inferi contremiscunt. Et præses: potentior
ne sit Christus Ioue? & Dioscorus: Iupiter,
inquit, & cæteri Dii, surda sunt idola, inani-
maq; simulacra. Obsecro ergo te ne me co-
ge craticulam conscendere, sed si lubet Iouis
vires experiri, ipsum Iouē craticulę impone:
& præses quis audeat hoc facere? ego, inquit
Diosc. te imperante hoc faciam, & si fulmē
in me torserit, ego potentem credā & profi-
tebor. Et præses: hætenus nō fuisti Iouis sa-
cerdos? quid hoc dicis? & Dioscorus per mē-
tis, inquit, errorem & insaniam fui, sed cū
viderem

viderem hunc beatum Theodorum à te
vinci non potuisse, per eum ego in Christi
fide sum constabilitus, nec iam aliud desi-
dero, quam vt illius commilito fiam: &
præses: quando, inquit, ita sentis, ascende
rogum. Tunc Dioscorus ad genua S. Theo-
dori prouolutus: precare, inquit, serue
Dei pro me Deum: precante ergo S. Theo-
doro Dioscorus in ferreâ crate extenditur,
Deumque laudando, ingenti voce excla-
mat: Domine Iesu Christe Deus Theodo-
ri, te laudo, tibi gratias ago, suscipe spiritum
meum in pace. His dictis animam Christo
edidit. S. verò Theodorus comprehensus
in vincula reducitur, posteraque luce ad fe-
rociū equorum pedes religatus, & ad car-
pentum restrictus, susque deque raptaba-
tur. Sed equi tandem ex præruptis præci-
pites acti interierunt: S. autem Theodo-
rus cœlesti occultaque vi vinculis exertus,
incolumisque seruatus, omnes admiratio-
ne perculsit. Vnde Socrates & Dionysius,
qui Theodorum ad currum reuinxerat, san-
ctissime affirmarunt, sibi equis quaqua ver-
sus cœco impetu ruentibus, horrificum quid
& formidabile esse obiectum, quo mente
animoque penè excussi exanimati que fue-
rint. Narrabant enim quasi flammantem

M 5 ignibus

*εισαδνοδ-
μνον lego.*

iguibus currum è cœlo demissum, à quo
vinctus pedicis sit expeditus, & in currum
altè sublatus saluusque in prætorio custo-
ditus, equis, nescio à quo, magna vi agitatis
& in præcipitium actis. Quod vbi qui adsta-
bant audierunt, magna simul fide & voce
exclamarunt: magnus Deus Christianorum.
Sed præses & sanctum Theodorum, & mi-
lites qui crediderant, in custodiam dedit,
fornacemque incendi præcepit, in quam
omnes coniecti sunt. Sed mox cœlesti, qui
descendebat in incendium, rore perfusi, in-
ter se familiariter cœperunt colloqui argu-
mentum sermonis erat memoria matris S.
Theodori, quæ ante triennium capta, &
cum aliis haud paucis in peregrinum abdu-
cta solum fuerat. cum ergo sanctus, qua ra-
tione comprehensa fuisset narraret, videre
eam desiderabat. Et: O Domine Iesu Chri-
ste, exclamant, operum admirandorum o-
pifex, ostende mihi quibus nosti modis, pa-
rentem, quid enim tu non potes, vti omnes
maiestatem agnoscant potentia tua. Et
hæc quidem hi inter se, in fornace. Sed
postquam flamma concidit, somno corre-
ptis, ex cœlitibus adstitit Beato, angelus,
qui, remoue inquit, luctum Theodore,
mater adest. qui experrectus exposuit visa
commi-

commilitonibus, & narratione nondum absoluta; in fornace ipsa mater S. Philippa dicta, paruit, & viso filio lætabunda illum complexa vna cum militibus consalutauit. Cumque à matre didicisset, vnde, & quo pacto venisset, sublatis in cœlum palmis, meritas Deo grates persoluit. Postridie præses cubitu mane surgens, Ego, inquit, nec ossa quidem reliqua esse puto de Theodoro; & iis qui cum illo in rogam heri coniecti sunt. Dumque hæc præses dicit, adest à fornace, qui hæc nunciat. Theodoro precante Iesum, flamma extincta est, & mater eius aliunde repente apparens fornacem ingressa est, vbi velut in thalamo confidentes familiariter inter se de Deo suo colloquuntur. Attonitus hoc nuncio præses, ad rogam aduolat, matremque inde euocat, & an tu inquit, es Theodori mater? & illa: Ego verò, inquit, sum, fac, inquit præses, uti filius tuus Diis sacrificet, ne & malus ille male pereat, & tu orba relinquare. Et Philippa: Filius meus abs te in crucē actus, hostiam veram Domino meo Iesu Christo Deo vero immolabit. Et præses: quando ergo tute genus supplicii filio reperisti, illud ille experietur; extemploque præcepit S. Theodorum de cruce suspendi, milites verò

verò lanceis transuerberari, matrì denique caput à ceruicibus amputari. Ita pariter omnes laureâ martyrii sunt insigniti. Sanctus autem Theodorus clavis cruci affixus, toto triduo suspensus vixit, tandemque ex cruce ad Dominum profectus est; cuius sacra lipsana vnguentis delibuta, & linteis involuta honesto in loco sunt condita.

ANNO TATIO.

Eod. die celebratur Theodorus Trachinas. Hic verò noster Theodorus 20. Sept. in Menologio & martyrologio Romano. Multi sunt alij hoc nomine insignes Martyres de quibus Fasti Martyrum.

Celeberrimus est is quem Tironem vocant.

28. April.

*De milite
Carthagi-
nensi lucu-
lenta hi-
storia.*

HISTORIA
DE MIRACALO QVO-
DAM CARTHAGINE IN
AFRICA FACTO.

Heraclio Imperante, Niceta patricio Africæ præside, huiuscemodi res mirabilitatis plena accidit. Grassante peste in vrbe, legionarius quispiam erat Carthagine, qui cum coniuge in agrum suum suburbanum vitandæ contagionis causa secessit,
Sed